



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

In Librvm R. P. Ægidii De Coninck Bellani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

I N L I B R V M
R. P. ÆGIDII DE CONINCK

B E L L A N I.

Vnde BELLVS hic, elegante curâ,
Et doctâ liber expoliuit arte,
Cui Dia Euphrosyne suum, suumque
Celestis decus addidit Sophia?
Quamquam nec minioruscet index;
Nec pingui illita cedriâ papyrus
Æui obliuia, pessimasque blattas,
Fatis rideat & rogo superstes,
Nec stricta niueo hinc & inde cornu
Frontes punice Scyrio nitescant.
Iste nam pretium fauoris esse
Ornatus leuibus solet libellis.
Ast huic Euphrosyne suum, suumque
Celestis decus addidit Sophia.

Quæ sacrum Attica, quæ Stagira pignus,
Clara Aristotelis Stagira cunis,
An Batti domus, an dedit Phalanti?
Agnosco genium fauentis auræ,
Imbre nectareo fluentis auræ,
Diuûm munera depuientis auræ.
Non hunc Attica, non Stagira misit,
Non Batti domus, aut do-nus Phalanti.
Non, ut Iliados sacre parentem,
In septem labor obstinatus orbes
Hunc per iurgia longa parietur.
Nam magnum licet Argos, aut beata
Optet Smyrna suum, Rhodosque dici;
Non tantum tamen ausit arrogare.

Alumnum sibi BELLA vindicabit,
BELLA Sicelidumque, Palladosque,
Bacchique, Cererisque BELLA bellum,
(Ne Campania sola, fertilisue
Lites Attica nouerit Deorum)
BELLA Naiadumque, Oreadumque,
Pomona, Satyrique BELLA bellum,
Floraque, Charitumque BELLA bellum.

BELLA te tua, BELLA te CONINGE
Doctis BELLA suum imputat LEVACIS.

Hæc te, quæ modo grandibus cothurnis
Terris altior, ardua que mentis
Acri sidera permeans volatu,
Diuorum sacra, fontibus negata,

Cor-

Cortinis sacra condita æternis,
 Naturâ ingenij stupente sætum,
 E sublimibus eruis tenebris,
 Te tua erudiit, CONINGE, BELLA;
 Te, quæ CREDERE, quæque AMARE monstras,
 Quæ SPERARE, CONINGE, quæ cauere,
 Quot demum sacra lucubrationes
 In lucem dare iusserit Sophia,
 Te tua erudiit, CONINGE, BELLA.

Nec vis abnuere, aut potes CONINGE.
 BELLE candor hic, ingenique vis est,
 Quæ viua nihil indigens lucerna,
 Litura nihil, indigensue lima,
 Mutuo sale condiunt volumen.

Certat gratia. BELLA das alumno,
 Alumnus tibi quod decus refundit.
 BELLA sic dare perge sic alumnis,
 Alumni tibi quod decus refundant.

AD BELLAM AVTHORIS PATRIAM

Ode.

Qualis remoto celsus in æthere,
 Vterice vindex nube Diespiter
 Terras nefasque cum solutis
 Hydrochoi ruit omne claustris,
 Vnus sacratæ Phocidos, impie
 Immunis vnde duplicè mons iugo,
 Quo Pyrrha staret saxei que
 Deucalion generis propago:
 Sic pulsa vastis DIVA penatibus
 Sæuo potentum Marte Quiritium
 Dum victor ambit Cæsar, orbem
 Ausonijs Aquilis maritans,
 Victrix in arcum BELGICA constitit
 Collecta pugnum, qua viget aureo
 Ter bella BELLA nata celo,

*BELGIOLVM patiens vocari.

Ad prima fausti murmura Nominis
 Plausere Diui, non aliter Poli
 Contracta quàm dum fraude doctâ
 Astra breui stupere vitro,
 Citòsque paruum tramite non suo
 Solem iugales flectere, & imparem
 Crystallino Phæben flagello
 Artifices agitare bigas.
 Nec læta deérant fatidici Iouis
 Oracla, certo carmine posthumis

*Bellaolim
 dicta Bel-
 giolum,
 quod vnicui
 contra Cæ-
 sareum Bel-
 garum per-
 fugium.
 Grammay
 in Urbib.
 Flandr.

Cantata